

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

CCIX.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

memoria celebrandi, Hedionis præceptoris mei causa, delector ejus ingenio, studio & modestia, quare commodaturus illi sum, quacunq; occasione potero. M. Heckelium tibi atque Collegis probatum iri nihil dubitavi, simul ac cognosceretur propius & audiretur; eoq; magis oro Dominum, ut sit salutare Ecclesiæ nostræ organum. De Turca quid futurum sit, Ratisponensia comitia ostendent; quæ nunc celebrari audimus; ad ea ut Evangelicæ civitates in Helvetiis mitterentur, urfit serid Palatinus, nimirum, ut ipsius & similium causæ patrocinentur suo interventu. Unde & ad nostrum Magistratum relata res est, & conventus civitatum habitus, in quo nostri, qui pastorum suæ civitatis quatuor sententiam requisierant, negarunt, se missuros esse, nec videri consultum, & nec Bernates, ut audio, à nostris disenserunt hac in parte, ut arbitrer, neminem missum iri, ut cunq; non desinat instare Elector. Nostri fortè non abs re metuunt, ne in præjudicium trahatur solidi in dogmate controverso consensus, si quacunq; ratione sese admisceant. In Sturmio vestro vehementer commendandum est pacis & consensionis tuendæ, remque literariam provehendi studium, ut sub extremam hanc vitæ suæ metam relinquat operis sui, præclari, fructus. Ex Gallia nos certi prorsus nihil habemus, certum verò est, vel pacem conclusum, vel pugna decertatum iri, fiat in ea re, quod bonum est coram oculis DEI. Cæterum quo successu labore Clarissimus vir, D. D. Jacobus Andreae, scire vehementer cupio, spero autem, non inanem fore ejus & reliquorum, qui feruntur, adjuncti, operam, sanctissimumq; studium. De quo si quid habes, rogo significes, & bene valeas cum tuis omnibus. Basil. 10. Maji, Anno 76.

Tuus ut semper ex animo frater

Sulcerus.



CCIX.

S. Venerande vir, Domine ac præceptor colende.

Quod hætenus semper mihi faciendum censui, ut in rebus difficilibus tuum consilium atq; opem requirerem ac implorarem, neq; id unquam me sine fructu facere memini, idem nunc facio, non meo solum nomine, sed etiam fratrum. Accidit autem ante dies non ita multos, ut scholæ nostræ Rector avocatus sit ad conditionem aliam, & quidem Ecclesiasticam, atq; ita intra mensē unum atq; alterum sit nobis locum illum primarium relicturus vacuum, & idoneo successore explendum. Jam non obvii sunt ubique tales, qui in ejusmodi locum reponantur. Oportet enim esse virum puritatis doctrinæ amantem & intelligentem, & se suamq; scholam

lam omnem cum ministerio conjungentem. Oportet esse non artibus tantum liberalibus, sed linguis etiam, præcipuè verò latina & græca (utinam verò etiam hebraica) egregiè imbutum, ut præter orationes græcas & latinas, poëtas quoq; interpretetur, & sua cum pueris in utraq; lingua, & quidem tam in ligata quam soluta oratione exercitia habeat. Oportet esse Musicum, si non perfectum, at mediocrem: ut cantiones Ecclesiasticas cum dignitate regat, aut certè cantorem regere juvet. Introducta est enim Dei beneficio Musica in nostram quoq; Ecclesiam. Præter hæc omnia oportet esse autoritate gravem, ut, quæ totius scholæ sunt, ei rectè committi queant, & ab eo reposci: neque sui classi tantum regendæ sit idoneus, sed talis, qui & reliquos collegas quatuor, quorum aliqui sunt promoti Magistri, gubernare & moderatione sua in officio continere, aut si quis eorum ab officio recedat, ut ad illud redeat, adducere possit. Optaremus autem nobis contingere aliquem, vestræ Ecclesiæ & scholæ in his omnibus conformem, quo sicuti per nos Ecclesia, ita per illum schola nostra, quam propinquissimè conformaretur vestra. Et quod optamus, tuam H. obnixè petimus, ut inquiri, inveniri & elaborari possit. Fiet autem hoc, si H. tua cogitationem de tali aliquo susceperit, scio. Cogitavimus quidem Dominus Mathias & ego, quos ea res cum primis sollicitos tenet, de M. Ruperto Laar, Domini Ungnadii præceptore, qui superioribus proximis nudinis nobiscum fuit, sed non potest nobis certi aliquid de eruditione ejus in scholasticis istis, aut etiam de voluntate ejus circa hujusmodi exercitia, constare. Potest tamen Dominus Doctor de eo cogitare. Esset illi proposita spes, cum dignitate transeundi à scholastica hac functione ad Ecclesiasticam. Satius tamen esset, habere virum ad annos bene multos in eadem statione manentem. Verum neque DEO, hujus rei gubernatori, neq; tuæ humanitati, cujus consiliū & auxiliū imploramus, neq; cuiquam bono viro ea in parte aliquid præscribimus. Hoc tantum rogamus, ut tua H. consilio atque ope sua nobis hac in re succurrat. Quod si monstraveritis nobis virum bonum, faciemus, ut cum dignitate vocetur, & à nostris recipiatur; idq; eò facilius nobis fuerit, quia consulem pium, doctum, & tam Ecclesiæ quàm scholæ, atque etiam nostri, amantem, DEI beneficio nunc habemus, Christophorum zum Jungen; olim D. D. Hedionis convictorem, publicum apud vos factum, multaq; hodie etiam lectionis, magnæq; sapientiæ & humanitatis virum. Stipendium Rectori scholæ datur idem, quod nobis singulis, qui in ministerio sumus, nempe 150. fl. & decem sacci frumenti, si sit maritus. Et licet Academiam hic non inveniat, tamen fortasse æquè multos homines doctos hic ut in Academia inveniet, quorum humanitatem admiretur, & cum quibus jucunde & suaviter vivat. Sed & reliquos patritios & cives tales habiturus est, quales sibi homo vocationi suæ satisfaciens optarit. Audistis proculdubio, conventum Theologorum nostræ Confessionis, Torgæ per Electorem Sax. coactum, sæliciter dissolutum esse. Interfuerunt ei primarii viri: D. D. Jacobus Andrea, Kemnitius, Chytræus, & alii. In confessionem Augustanam, & ejusdem circa articulos con-

troverfos veram & propriam sententiam, nativæq; sententiæ declarationem, conjunctis omnium animis atq; vocibus usq; ad eò consensum illic fuit, ut Selneccerus habiturus concionem, à beneficii illius divini magnitudine exorsus, rem omnium cognitione, admiratione & prædicatione dignam auditorio toti, antequam preces fecerit, commendarit, & omnes, qui beneficium hoc tantum agnoscerent, jussit provolutos in genua orare: pater noster, &c. Is qui hoc nobis ex literis ad se scriptis referebat, addebat porro, fore, ut quæcumq; illic tractata essent, ad præcipuas Ecclesias Evangelicas mitterentur, & ulterius dijudicarentur, & si quid dubium, perplexum, aut minus bene explicatum esset, aut adjiciendum, demendum, immutandumve videretur, de eo tandem planè ac determinatè aliquid in sequutura nationali synodo (quam & Wilhelmus Landgravius transiens nostris promisit) concluderetur. Verum de his frustra ego ad vos, qui omnium horum longè perfectiorem, quam nos, cognitionem habetis. Vidimus hisce diebus Episcopi Moguntinensis de Jubilæo & ejusdem indulgentiis, in episcopatu ipsius expositis, diploma, auctoritate Papæ munitum. Et intelligimus Viennæ, Treveris, Colonia, idem, quod in vicinia nunc fit, aut factum esse, aut jam nunc fieri; in quo omnes frontem meretriciam Antichristi ad stuporem usq; miramur. Deumq; petimus, ut vel apud vos vel alibi Lutherum aliquem excitet, qui magno spiritu impudentiæ ipsorum hominum obviam eat, & facilitatem hominum in sectando stercore istorum porcorum redarguat ac retundat. Fuit autem Episcopus Moguntinus olim discipulus Sarceri, Dillenbergæ, & diversatunc fuit religione imbutus, diversumque nunc etiam, quam in processione publica ad 9. Julii habita declaravit, tenet. Verum hæc est hora tenebrarum. In Comitibus cum multa de rebus Imperii fuissent proposita, de religione ne verbum quidem ullum. De sumptibus verò in bellum Turcicum valde & nimis multa. Status autem Evangelici ubi propositionem talem audierunt, adjectamq; Imperatoris voce declarationem & exhortationem, collegerunt sese, & sumptis animis proxima vice sequente progressi, declarationem fieri ante omnia decreti de pace Religioni data anno 35. Augustæ, petiverunt, alioqui se ad alia progressuros negarunt, & debere hoc sibi Imperatorem ex promissione tempore Electionis Regis facta. Feruntur etiam pontificii valde insolentes contra nostros multa illic agere. Status fuerunt ad LXXX. Et si autem indignè postulationem hanc tulit Imperator, fecit tamen, ut ea res nunc tractetur. Faxit DEUS, ut omnia illorum consilia Ecclesiæ Christi salutaria, Antichristi autem regno pestilentia fiant. Quod reliquum est, H. tuam cum omnibus suis DEO Opt. Max. commendo, & dicacitati huic meæ benignè veniam dari peto. Francofurti, postridie Jacobi, Anno 76.

T. H. observantiss.

Petrus Patiens.

CCX.